Epistula beati Pauli apostoli ad Titum

1 2 3

1

1:1
Paulus servus Dei apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis quae secundum pietatem est
1:2
in spem vitae aeternae quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora saecularia
1:3
manifestavit autem temporibus suis verbum suum in praedicatione quae credita est mihi secundum praeceptum salvatoris nostri Dei
1:4
Tito dilecto filio secundum communem fidem gratia et pax a Deo Patre et Christo Iesu salvatore nostro
1:5
huius rei gratia reliqui te Cretae ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros sicut ego tibi disposui
1:6
si quis sine crimine est unius uxoris vir filios habens fideles non in accusatione luxuriae aut non subditos
1:7
oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem non superbum non iracundum non vinolentum non percussorem non turpilucri cupidum
1:8
sed hospitalem benignum sobrium iustum sanctum continentem
1:9
amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem ut potens sit et exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere
1:10
sunt enim multi et inoboedientes vaniloqui et seductores maxime qui de circumcisione sunt
1:11
quos oportet redargui qui universas domos subvertunt docentes quae non oportet turpis lucri gratia
1:12
dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta Cretenses semper mendaces malae bestiae ventres pigri
1:13
testimonium hoc verum est quam ob causam increpa illos dure ut sani sint in fide
1:14
non intendentes iudaicis fabulis et mandatis hominum aversantium se a veritate

1:15
omnia munda mundis coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia
1:16
confitentur se nosse Deum factis autem negant cum sunt abominati et incredibiles et ad omne opus bonum reprobi.

2

2:1
tu autem loquere quae decet sanam doctrinam
2:2
senes ut sobrii sint pudici prudentes sani fide dilectione patientia
2:3
anus similiter in habitu sancto non criminatrices non vino multo servientes bene docentes
2:4
ut prudentiam doceant adulescentulas ut viros suos ament filios diligant
2:5
prudentes castas domus curam habentes benignas subditas suis viris ut non blasphemetur verbum Dei
2:6
iuvenes similiter hortare ut sobrii sint
2:7
in omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina integritatem gravitatem
2:8
verbum sanum inreprehensibilem ut is qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis
2:9
servos dominis suis subditos esse in omnibus placentes non contradicentes
2:10
non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes ut doctrinam salutaris nostri Dei ornent in omnibus
2:11
apparuit enim gratia Dei salutaris omnibus hominibus
2:12
erudiens nos ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo
2:13
expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et salvatoris nostri Iesu Christi
2:14
qui dedit semet ipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum
2:15
haec loquere et exhortare et argue cum omni imperio nemo te contemnat.

3

3:1
admone illos principibus et potestatibus subditos esse dicto oboedire ad omne opus bonum paratos esse
3:2
neminem blasphemare non litigiosos esse modestos omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines
3:3
eramus enim et nos aliquando insipientes increduli errantes servientes desideriis et voluptatibus variis in malitia et invidia agentes odibiles odientes invicem
3:4
cum autem benignitas et humanitas apparuit salvatoris nostri Dei
3:5
non ex operibus iustitiae quae fecimus nos sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti
3:6
quem effudit in nos abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum
3:7
ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae
3:8
fidelis sermo est et de his volo te confirmare ut curent bonis operibus praeesse qui credunt Deo haec sunt bona et utilia hominibus
3:9
stultas autem quaestiones et genealogias et contentiones et pugnas legis devita sunt enim inutiles et vanae
3:10
hereticum hominem post unam et secundam correptionem devita
3:11
sciens quia subversus est qui eiusmodi est et delinquit proprio iudicio condemnatus
3:12
cum misero ad te Arteman aut Tychicum festina ad me venire Nicopolim ibi enim statui hiemare
3:13
Zenan legis peritum et Apollo sollicite praemitte ut nihil illis desit
3:14
discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios ut non sint infructuosi
3:15
salutant te qui mecum sunt omnes saluta qui nos amant in fide gratia Dei cum omnibus vobis amen.